



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

VI. Quia est quodammodò Omnipotens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

est, quin Mariæ tribui conveniat, quidquid boni quævis Creatura vel fecerit, vel receperit. *Petrus Damian. serm. de Nativit. Virg.* Attende Seraphim & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus est Virgine, solumquæ Opificem opus istud supergredi.

#### 6. Quia est quodammodo Omnipotens.

*Richard. lib. 2.* Cum eadem sit potestas, & communis Matris, & Filij quæ ab omnipotente Filio, omnipotens est effecta, quia non est potestas nisi à DEO Rom. 14. Vnde dicit cum Filio Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Coelo, & in terra;* tamen excellenter potens in Ecclesia triumphante. Vnde dicit Eccles. 24. *In Jerusalem superna potestas mea,* imperandi scilicet quod volo virtutibus Angelicis, & animabus sanctis, & faciendi ad beneplacitum meum, & quos volo introducendi. *S. Bonavent. in Cant. post psalt.* Domina nostra omnipotens post Dominum nomen ejus. Quia ut *August. seu aliquis apud eum serm. 20.* ad Fratres in Eremito docet. Talis suo modo Mater, qualis Filius. *S. Andr. Cret.* vocat Virginem Miraculorum effectricem, potestatem habentem, quæ labefactari nequeat; & quæcunque voluerit efficere potest. *S. Sabbas* ita illam affatur in *Meneis 17. Jan. in matut.* Et *Greg. Nicomediensis Orat. de exitu B. Virg.* Nihil tuæ resistit potentiae, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussu, omnia tuæ potestati serviunt. *Damian. serm. 1. de Nativit. B. Virg.* Nihil tibi impossibile. *S. Bonav.* rationem dat in *speculo cap. 8.* Quia Dominus potentissimè tecum est, ideo tu es potentissima tecum, & per ipsam potentissima apud ipsum. *S. Anselm. de laud. B. V. cap. 12.* Dominus te sic exaltavit, ut omnia tecum possibilia esse donaverit.

Refert *S. Brigitta revel. c. 84.* Sanctos hæc in Cælo dixisse: O Domina Benedicta, tu portasti Dominum in te, & tu Domina omnium es: quid est quod non poteris, quod enim tu vis, hoc factum est.

#### 7. Quia Dominatur Angelis.

*S. Joan. Damascenus in Dialogo Angeli* annunciantis Virgini qui est relatus in *Menea Græcorum ad 25. Martij,* ita inducit Angelum agnoscentem supra se Virginis Dominium. Quid me pertimescis ò nullo unquam nævo subjecta? me qui tibi potius metum ut subditus debeo? Quid me veneraris ò Domina, qui te etiam cultu quodam adorationis longè justius veneror? Non sine timore ante faciem tuam ut servus antè Dominam adito, imò nec aspicere te præ veneranda tui formidine audeo. *Et paulò post.* Lætare ò altitudo Maria! ad supremum cujus fastigium cogitationes hominum ascendere nequeunt: lætare profunditas, cujus subtilem recessum nec quidem acies Angelica penetrat, lætare per quam innovantur Creaturæ.

E

Quod